

68

Potuit enim id fieri vel errore quadratarii, vel ad indicandum per hanc literam syllabæ initialem integrum verbum *Quinquennialitatis*, quod fieri consuevisse in antiquis monumentis nemo nescit, & præsto sunt exempla: BNMRT. *Benemerenti*. KRM. Karissimæ PTRQ. Posterisque; aliaque plura apud Fabrett. Cap. III. Inf. Dom. p. 164. & ne nostra prætereamus, BMR. Benemerenti lap. LXIII.

Fuit autem Quinquennialitas municipalis Censura: Quum enim Coloniarum simulacra essent, & parvæ quædam effigies Romanæ Urbis, ut ait Gellius, iuraque omnia, institutaque populi Romani haberent, iisdem fere magistratibus regebantur, quibus Roma. Ad Urbis tamen Parentis dignitatem factam tectam servandam, illorum nomina immutata sunt. Hinc, qui Romæ Senatus, in Colonia Curia; Senatores, Decuriones; Consules, Duumviri; Censores demum, Quinquennales dicebantur. Municipali tamen ambitione hunc ordinem aliquando perturbatum fuisse supra Not. I. inuimus, & Not. XXXII. dicemus. Hinc in Inscriptione Alatrina apud Gruter. p. CLXXI. 8. P. Betilienus Vaarus, non *Quinquennialis*, sed *Censor* dicitur. Porro Quinquennialitas, seu Censura Colonica præcipua fuit dignitatis, ut docet Cicero, qui lib. II. in Verrem a n. 91. ait Censores binos in singulis Siciliæ Civitatibus creati, & propter magnitudinem potestatis hunc Magistratum a populo summam ambitione contendendi. Eam vero ii adipisciebantur, qui aliis antea Magistratibus perfundi fuissent, Apulejo teste, qui lib. X. Miles. de Thyaso Corinthio hæc habet: *Gradatim permenfis honoribus Quinquenniali Magistratui fuerat destinatus, & ut splendori capeffendorum responderet fascium, munus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam porrigebat.* Quem locum Apuleii Eñum Norisium, qui recte Duumviros a Quinquennialibus distinxit, miror primo ad Duumviros dis. I. Cenot. Pisan. Cap. 3., mox ad Quinquennales ead. dis. Cap. 5. retulisse: ibi tamen Quinquennialitatem, seu Censuram, non Duumviratum in quinquennium Thyaso delatum indicare voluisse Apulejum, mox palam faciam. Quum ergo tanti esset Quinquennialitas, eam Principes ipsi, ut Coloniais, & Municipiis faciles se præberent, quandoque gesserunt. Hinc Spartianus cap. XIX. tradit Hadrianum fuisse in patriâ sua Quinquennalem, & item Hadria Quinquennalem, quasi in aliâ patriâ. Hoc honore qui potirentur, munificentix suæ argumenta præstitisse Apulejus l. l. testatur. Nec desunt veterum